



**Regula Sancti Patris Benedicti**

**Benedikt <Montecassino, Abt, Heiliger>**

**Moguntiae, 1604**

XLVI. De ijs qui in alijs, quibuslibet rebus delinquunt.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64533](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64533)

De iis qui in aliis quibuslibet rebus delinquent.

## C A P. XLVI.

**S**i quis dum in labore quoquis, in Coquina, in Cellario, in ministerio, in pistrino, in Orto, in arte aliqua dum laborat, vel in quo-cunque loco aliquid deliquerit, aut fregerit quippiam, aut perdiderit, vel aliud quid ex-cesserit ubi ubi: & non veniens continuo ante Abbatem, vel Congregationem ipse vltro satisfecerit, & prodiderit delictum suum: dū per alium cognitum fuerit, maiori subiaceat emendationi. Si animæ verò peccati causa latens fuerit: tantum Abbat, aut Spiritualibus Senioribus patefaciat, qui sciant curare sua, & aliena vulnera non detegere aut pu-blicare.

I. (ET NON VENIENS CONTINVÒ.)  
Declaramus, hoc esse seruandum, quando Abbas ibi adesset, aut in loco propinquo, & hoc delinquens scierit: alias satisfaciat ante Congregationem in se-quenti Capitulo: quod ob hoc teneri volu-mus singulis diebus post primam, præterquam in di-ebus Fesliuis, ut supra diximus: considerato tamen, quod si contingere Fratrem commisisse peccatum mortale (quod ab sit,) & hoc esset notorium, licet dicat suam culpam in Capitulo ob satisfactionem Fratrum, confiteatur tamen & suo Confessori: qui eum in forma Ecclesie absoluat, alias non esset ab-solutus.

2. (SI ANIMÆ CAVSA LATENS  
FVERIT.) Diligenter hic est animaduerten-  
dum, quod si Regula precipit in fractura rerum  
insensibilem, & in excessibus, qui palam contra pre-  
ximum commituntur, mox illos debere manifestari  
Prælato, & satisfacere: quanto magis credendum est  
illos occultos, & spirituales defectus, qui Deum im-  
mediate offendunt, & perimunt ac frangunt ani-  
mam, debere Fratres mox confiteri, & pro illis sa-  
tisfacere.

3. Et quia quasi continue delinquimus, & septies in  
die cadit iustus, ne Patres occupati tota die teneantur,  
statuimus, ut quilibet Frater confiteatur salutem  
semel in hebdomada. Quod tempore Sanctissimi Pa-  
tris nostri Benedicti seruabatur: eò quod in Capitu-  
lo de hebdomadario Lectore dicit, quod Lector ac-  
cipiat mixtum propter Sanctam Communionem,  
qua Communionis fiebat singulis Dominicis, & con-  
sequenter confessio, contrafaciens dicat suā culpi  
in Capitulo, & comedat in terra in Refectorio.

4. Ordinamus item quod nullus ex nostra congre-  
gatione Monachus, commissus, vel nouitius, ex-  
tra Sacramentalem confessionem legitimis facta  
Sacerdotibus, aliquid secreto recipiat sub sigillo co-  
fessionis ab aliquo de ipsa congregazione. Contrafa-  
cientes vero non possint dispensari pro tali inobedi-  
tia, nisi à suo Prælato: iniuncta eiſ poenitentia ie-  
nandi tribus diebus in pane & aqua intra vni-  
mensis spatium.